

Dissertatio medica inauguralis, de haemorrhoides : quam, annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Georgii Baird, SS.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : necnon amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Joannes Mollan, Hibernus, Soc. Reg. Phys. Edin. Socius.

Contributors

Mollan, John, 1791?-1877.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgi, 1814.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zkbxm2af>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
HÆMORRHOIDE.

DISSERTATIO MEDICA

IN VENERE

ET

HÆMORRHOIDE

DE

ANALYSE

ET

D. GEORGI BALDII M.D.

ACADEMIAE VINDOBONENSIS

PRÆSENTATA

AMPLISSIMI SENATVS ACADEMICI CONSENSU

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ IMPERIALIS

EDINBURGHENSIS

SUMMISSIO IN ACADEMIÆ HONORIBVS ET

GRADU ET DOCTORATU CONSECUTUS

REVERENDISSIMO PATRI

JOANNI MOLLAU


PROFESSORI

ET

EDINBURGHENSIS

EDINBURGH:

*James Gordon Esq. with the best
wishes of the Author.*



c

GULIELMO MOLLAN, ARMIGERO,

CASTELLI DIXCOVE,

APUD LITTUS AUREUM AFRICÆ,

PRÆFECTO,

FRATRI SUO DILECTISSIMO,

CUI,

NON SOLUM AMICITIA,

SED CURIS PLUSQUAM FRATERNIS,

QUAS, DE SE REBUSQUE SUIS, SEMPER MANIFESTAVIT,

DEVINCTUS EST,

HOCCE OPUSCULUM,

ANIMI HAUD INGRATI,

ET AMORIS, PIGNUS,

OFFERT

JOANNES MOLLAN.

*Fort Dixcove
on the gold
coast of
Africa*

GUILIELMO MOLLAN, ARMIGERO,

CASTELLI DIXONÆ,

ATQVE LITTEB AUREB AMICB,

PREFECTO,

TRAYRI SVO DILECTISSIMO,

CEL,

ZOB SOLUTI AMICITIA,

SED CURIS PLEBEM TRACTANDI,

QUAE DE SE MEMORAT SUI, MEMORAT MOLLAN,

BRISTOLÆ 1757,

HOCC OPERIBUS,

ANIMI BONDIGNITATE,

ET AMORIS PLEBIS,

OPERT.

JOANNES MOLLAN

AVUNCULO SUO

ET

PRÆCEPTORI BENIGNISSIMO,

JOANNI MOLLAN, ARMIGERO,

ARTEM APOLLINAREM APUD NEWRY,

SUMMA CUM LAUDE, DIU EXERCENTI,

PROPTER BENEFICIA PLURIMA COLLATA,

ET COMITATEM,

QUA

SE SEMPER TRACTAVIT,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

GRATO ANIMO,

DICATAS ESSE

VULT

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HÆMORRHOIDE.

JOANNE MOLLAN AUCTORE.

INTER morbos, alii, propter incommoda quæ nunc facessunt; alii, propter pericula quæ postea ex his oriantur; sed plurimi, ob has utrasque causas, opem medicam postulant.

Œconomix animalis, tanto momento sunt, structura canalii alimentarii sana, et actio be-

ne ordinata; ut aliquis morbus, vel structuræ vel functionibus ejus, etiam leviter minans, medicinam facientis attentionem, sibi apprime vindicet. Quapropter, sed non minus etiam propter frequentiam ejus, et plurima incommoda inde provenientia, *hæmorrhoidem*, ut argumentum dissertationis inauguralis meæ, selegi.

Hic morbus, in classe *Pyrexiarum*, et ordine *Hæmorrhagiarum* Nosologiæ cel. Cullenii recensetur, et characterem ejus genericum verbis sequentibus traditur. “Capitis
“ gravitas vel dolor, vertigo, lumborum dolor,
“ dolor ani, circa anum tubercula livida do-
“ lentia, e quibus plerumque profluit sanguis,
“ qui aliquando etiam, nullo tumore appa-
“ rente, ex ano stillat.”¹

¹ Cull. Synop. Nos. Meth.

Quatuor species hujus generis enumeratæ sunt.

1. Hæmorrhoidis *tumens*; cum tumoribus externis circa marginem ani orientibus. Hujus speciei varietates duæ sunt, *cruenta*, scilicet, sanguinis profluvio; et *mucosa*, mucæ secretionem, stipata. Harum posterior, *Hæmorrhoidis alba* quibusdam nominatur.

2. Hæmorrhoidis *procidens*; cum tumoribus externis a procidentia ani genitis.

3. Hæmorrhoidis *fluens*; cum tumoribus intra sphincterem ani sitis, et invisis, absque procidentia ani.

4. Hæmorrhoidis *cæca*; cum tumoribus circa anum dolentibus, sine sanguinis profusione.

Hanc divisionem, etsi tam præclaram non

multum spectant medici, quoniam diversæ species raro separatim visæ sunt.

Hæmorrhoids, crebrius in provectoribus ætate, interdum in junioribus, sæpe in feminis uterum gerentibus, apparet. Nonnunquam sese ostendit, nullo incommodo præcedente, et leni dolore aut inflammatione comitante; sæpe tamen accidit, quod dolor capitis, calor, aliaque pyrexia signa, dolor lumborum, tenesmus, aliquandoque sphincteris vesicæ irritatio, et dysuria, comitantur; simulque circa anum tanta inflammatio, ut æger, sine magno cruciatu, vel ambulare, vel etiam recumbere, non possit.

Quum tumores iniquæ magnitudinis sunt, multum obstructionis fæcum transitui præbent; unde oritur desidendi cupiditas frequentissima, molestissima, fere tamen inutilis et inanis, necnon et tantum in conamine

cruciatús, ut æger evacuationem, quam diu potest, moretur. Hinc factum est, morbum non tantum intendi, sed etiam functiones universi canalis alimentarii, turbatas esse. Conaminibus attamen factis, aliquando exinde evenit, tumores internos protrudi, et sphincteris ani contractione immodice constringi; hinc oriuntur dolor vix tolerandus, inflammatio immanis, et postremo gangræna.¹ Ad eandem nimirum causam, aliquando referri potest, procidentia ani, una cum hoc morbo sæpius visa.

Tumores hæmorrhoidales, quoad molem et figuram, varii sunt; nunc cervice tenuiori, nunc basi latiori, recto adhærentes; interdum etiam, formam annuli, in diversas partes fissi, induentes; primo impetu molles, lividi, et veluti sanguine impleti, apparent; sed per

¹ Abernethy's Surgery, vol. ii. p. 232.

aliquid temporis manentes, duriores et sæpe carnosi evadunt. De structura eorum, inter se multum discrepant scriptores medici; nonnulli rati sunt, ex varicibus constare, quibus, propter situm dependentem, et quia valvulis carent, sicuti alii venæ portæ rami, venæ hæmorrhoidales multum opportunæ; et quidem, quum tumores exigui et molles sunt, satis verisimile est; sed dum firmitatem et magnitudinem quas non infrequentur adipiscuntur, spectemus, varices esse non possumus opinari. Alii, ut verisimilius est, potius ex sanguine in telam cellulosa effuso, ducere originem censent.

Abernethy, de cujus scientia et accurate commemo-
ratione satis notum est omnibus, commemorat, quosdam tumores hæmorrhoidales, a se excisos, firmos, et carnosos extitisse, nec ullis vasis sanguineis alicujus momenti, instructos.¹

¹ Abernethy's Surgery, vol. ii. p. 233.

Alii, contra, nec ex varicibus, nec ex sanguine in telam cellulosa[m] effuso, tumores formatos esse, existimaverunt; sed ex glandulis recti mucosis amplificatis, constare.

Noster spectatissimus Professor Monro, varietatem tumoris hæmorrhoidalis, in lucem edidit, novam, qui solidus est, et comprimi non potest, non dolet, nec sanguinem emittit, plerumque ovatus, et olivæ magnitudinis est, aut anum cingens, aut partem recti inferiorem occupans. Multos hujusmodi tumores, scalpello excisos, hic auctor invenit, ex gelatina spissata constantes, et cavum in centro, quod granum milli potest continere habentes, muco impletum.¹

Aliquando plica tunicæ recti internæ tu-

¹ Monro's Morbid Anatomy, p. 200.

mefacta et spissata, tumorem hæmorrhoidalem format.

In hæmorrhoidæ, profluvium sanguinis hæc infrequenter per intervalla, revertitur. Sanguis plerumque inter desidendum apparet; aliquando tamen, nullis fæcibus redditus, et tanta in copia effunditur, ut summa debilitas, cum hydrope vel leucophlegmatia, non sine vitæ discrimine, gignantur.* Interdum, rarissime quanquam, ex sanguinis jactura, mors subito secuta est, et hoc modo, hereticum Arium, et Copernicum philosophum, perire, fertur.

A profusione sanguinis nomen *Fluxus Hæmorrhoidalis*, huic morbo, nonnunquam inditum est. Aliquando tumores, præsertim in-

* Cullen's First Lines, par. 929.

ternos, mucii vel seri profluvium comitatur ; speciem morbi cui, nomen Hæmorrhoidis Alba datum, efficiens.

Aliis ex venis, aliis ex arteriis, sanguinis scaturiginem derivatam, visum est ; unde morbum quodammodo variatum esse, censerunt. Frequentius ex arteriis profluere videtur ; etsi statutu difficile est, et revera, ad rationem medendi non multum refert.

Quum inflammatio adsit, plerumque sanguinis profluvio resolvitur ; aliquando tamen suppuratione desinit, et ulcera, ad degenerandum in fistulas valde proclivia, formantur.¹

¹ Heister's Surgery, Part II. p. 306.

Fere ab omni ævo multis medicis placuit, hæmorrhoidem non solum innocuam, sed plerumque salutarem esse; nonnulli quidem morbum appellare noluerunt, nisi in excessum progredientem, et multum debilitatis gignentem: Celsus de hæmorrhoides tractans hæc verba habet; “ qui sanguinis profluvio imbeciliores non fiunt habent purgationem, non morbum.”¹ Multos morbos præcaveri; a sanguinis congestione corpus liberari; pneumoniam, hepatididem, et alias phlegmasias internas, sæpe resolvi, erumpente hæmorrhoides, nonnullis existimatum est. Contra ab ejus suppressione, gravissima mala ducere originem putabantur. Hanc Stahlis doctrinam esse gratissimam ex verbis sequentibus constat: “ Alii, antiquam fluxum hunc, nancis-

¹ Celsus de Medicina, lib. vi. cap. xviii.

“cerentur, variis pathematibus hypochondri-
“aco-colico obstipatoriis, aut ischiadico-go-
“nagrisis et podagrisis, sæpius exerciti;
“ab istorum insultu, erumpente hoc fluxu,
“liberarentur; aut evanente tali fluxu in talia
“pathemata, vel inciderent vel denuo relabe-
“rentur.”¹

Ab hinc multi hæmorrhoides laborantes, hac opinione freti, morbum lubenter passi sunt; potius quam accipere medelam, tot periculis ut creditum erit, obsitam.

Sed nunc temporis, satis notum est medicis, hæmorrhoidem, nullo modo, tantis virtutibus præditam, ut inducamur exoptare; nedum elicere, medicamentis, hoc munere instructis, secuti olim non infrequentur factum fuerit.²

¹ Stahlius de Fluxu Hæmor. p. 80.

² Wiseman's Surgery, p. 215.

³ Heberdeni Com. p. 103.

Suppressionem alicujus evacuationis, cui corpus diu assuefactum fuerit, valde periculosam esse, in medicina opinio est antiquissima; et a hæmorrhoidæ suppressa, apoplexiam et paralytin aliquando oriri Cullenus testatur. Ast hæmorrhoidis vix et ne vix quidem, primo insultu, totius systematis morbus est, sed omnino localis, et idem præclarus auctor nunc citatus, faustam noluit ducere, nec ullo modo promovendam.

Quum morbus recens est, quin sit summovendus (me judice) nil dubitandum est; et etiamsi diu perstiterit, dum immodicus evadat, cohiberi saltem, si non omnino reprimi, debet.

CAUSÆ.

QUODCUNQUE, reditum sanguinis a venis hæmorrhoidalibus liberum, impedit, hæmorrhoidem gignere potest. Cullenus dicit arterias, sanguinis congestione in venis, ad actionem abnormem excitari; unde hæmorrhagia et tumores.

Ad cursum sanguinis tardandum præcipue valent; hepar, vel pancreas, scirrhosum et auctum, uterus gravidus, calculi, vel fæces duræ in recto retenti, aqua vel aër in peritoneo collectus. Fæces duræ non solum nocent ob pressuram, sed ob conatus validos, qui ad expulsionem earum sæpe necessarii sunt, respiratio per aliquid temporis suspenditur, et sanguis in venis congeritur.

Provectiores ætate, nam in illis venæ capaciores et laxiores sunt, artifices, studiosi et alii, qui vitam ducunt sedentariam, et feminæ, uterum gerentes, hæmorrhoidi obnoxii sunt. Dysenteria, diarrhæa, et alii viscerum morbi, calculus vesicæ, sphincteris ani relaxatio, proclivitatem ad morbum gignunt. Ad eundem confert effectum, immodicus purgantium usus, præsertim aloes et aliorum acriorum; hæc, impetum sanguinis partem versus augment, et sicuti mos est omnium stimulantium enervare partes, quibus diu applicentur, intestina convellunt et nimis laxa reddunt.

Haud raro, hæmorrhoidis a procidentia ani oritur. Dum alvus exoneratur, portione recti exclusa, et contractione sphincteris constricta, reditus sanguinis impeditur, unde gignuntur tumores.

Non desunt medici, qui perhibuerunt hæ-

morrhoidem, illos syphilitide affectos, sæpe adoriri. Ast mihi videtur, eos non rite dignovisse inter hæmorrhoides, et tumores, qui ex lue venerea oriuntur; et quidem, talem hæmorrhoidis causam, plerique alii auctores, in silentio omnino præteriverunt.

A Stahlio creditum fuit, plethoram, ad hæmorrhoidem ciendum, præcipue valere; et igitur diætam nimis lautam et plenam, exinanitiones suppressas, vitam sedentariam, et quodcunque aliud, huic corporis statui, conferens, homines morbo proclives reddere.

Frigus, circa anum et nates, diu applicatum, morbum excitare posse, crediturus sum; nam memini vidisse casum hominis, qui, super ripam fluvii humidam per totam noctem sedebat, et mane hæmorrhoides correptus est.

Aliquando morbum a labe hæreditaria oriri, nonnulli dicunt ; certe hoc, si unquam, rarissime accidit. In quibusdam casibus veteribus, quidam nexus ventriculo cum intestinis intercedit ; ut ventriculo male se habente, hæmorrhøis excitatur. Sæpe morbus adortur ; nulla causa, nostris sensibus detegenda, apparente.

DIAGNOSIS.

MORBI, quibus hæmorrhøis confundi potest, perpauci sunt ; nihilominus de his pauca, in medium proferre, necesse est.

Tumores *venerei* circa anum, ex hæmorrhoidibus, his signis, dignos^{ci}~~se~~ possunt ; latiores sunt, potius plani quam elevati, non solum anum, sed perineum et nates adorientes ; raro

dolent ; nisi causis irritantibus adhibitis, et vix unquam sanguinem effundunt.

Cancro rectum opportunum est ; hic durus est, et comprimi non potest, plerumque altius situs, et totum intestini circuitum occupans ; fæces planas reddit, insigni dolore semper urget, crebro saniem emittit, sanguinem rarius.

RATIO MEDENDI.

QUATUOR indicationes hæmorrhoidem medendi enumerandæ sunt.

1. Omnes causas summovere excitantes.
2. Inflammationi, et dolori, missione sanguinis, et emollientibus, occurrere.
3. Corpus totum, et sedem morbi præcipue, tonicis, et astringentibus, firmare.

4. Aliis remediis deficientibus, tumores arte chirurgica extirpare.

Alvi durities, causa hujus morbi frequentissima excitans, lenibus catharticis adhibitis, tollenda est. Ex his nullum, oleo Ricini anteponendum est. Sulphur sublimatum, in hoc morbo diu celebratum fuit, et quandam actionem specificam, nonnulli rati sunt habere; ast tantum prodest, alvi exinanitionem promovendo, et, ut leviter et sine irritatione faciens, ad hoc propositum aptissimum est.

Ad inflammationem sedandam, raro missione sanguinis generali, uti necesse erit; hirudines parti affectæ adhibitæ, plus valebunt; vel ut nonnulli potius volunt, scarificationes cum lanceola. Diæta lauta et exercitatio evitandæ sunt. Alia remedia huic indicationi apta, sunt cataplasma panis et lactis cum pauxillo olei, fofus ex aqua tepida, vel decoc-

to papaveris somniferæ, et ut æger super vapores sedeat. Aliquando, lavatio frigida plus prodesse videtur. Haud raro, quum tumores exigui sunt, sine multo dolore, vel magno sanguinis fluxu, morbus, usui unguenti gallarum, vel oxidi zinci, cum granis opii paucis, cito cedit. Latta¹ multum laudat resinam copaiferæ officinalis; guttis quadraginta vel quinquaginta omni mane sumptis.

Dr M'Lean commemorat casum hominis, tumoribus hæmorrhoidalibus, tum internis, tum externis valde tentati, cui tinctura Digitalis purpureæ, præsens auxilium præbuit, et in dosibus guttarum triginta quinque mane nocteque, sumpta, morbum cito sustulit.²

Quum hæmorrhoids in graviditate occurrat,

¹ Latta's Surgery, vol. ii. p. 36.

² London Medical Physical Journal, vol. iv. p. 234.

lenibus catharticus confidendum est ; solutio morbi, nisi partu finito, vix speranda est.

Si ex profluvio sanguinis continuo, magna debilitas oriatur ; ne vires ægri obruantur ad remedia astringentia confugiendum est, ad solutiones nimirum acetitis plumbi, vel sulphatis aluminis, decoctum cinchonæ vel corticis quercus ; simulque ad corpus firmandum, decoctum vel infusum cinchonæ, vel quassia, cum acido sulphurico, interne adhibenda sunt. Pasta Wardi, ex radicibus Inulæ Helenii, pipere nigro, seminibus Anethi Fæniculi, et melle, constans, remedium est antiquum ; ast, (mihi si liceat judicare) hi stimuli, plus noxæ minitari, quam auxilium præbere, videntur.

Quum procidentia ani hæmorrhoides conjuncta sit, et magna debilitate comitatur ; balneum frigidum, cinchona, et præparata ex ferro, multum auxilii præbeant ; portio recti

quæ protruditur, statim post singulas dejectiones, reducenda, et fascia quæ bene sustentet, aptanda est. Ad partem roborandam, lotiones astringentes oportet adhibere.

Si vero omnia remedia jam enumerata, morbum non levent, sed æger magno dolore sæpe tentetur, vel vires profusione sanguinis frequenti multum convellantur, tunc arti chirurgicæ ad tumores summovendos, confugiendum est.

Veteres, ut ex Celso discimus, tumores hæmorrhoidales ope cauterii summovere solebant. Hæc consuetudo hodiernis merito prorsus aboletur.

Duobus modis, tumores, nunc temporis summovent chirurgi; scalpello scilicet et ligatura, ast non semper feliciter cedunt. Nam applicationi ligaturæ, sæpe dolor immanis et

inflammatio, ac aliquando etiam ischuria, superveniunt, atque hominem, intra paucos dies, postquam radix tumoris filo serico ligata fuerit, omnibus herniæ incarceratæ signis, mortuum esse, commemorat Petit.¹ Post excisionem aliquando multum sanguinis effunditur, et mortem semel ex hæmorrhagia accidisse etiam ex Petit discimus. Nihilominus plerumque hæmorrhagia facile præcaveri potest, si fascia, ex alkohole et aqua vel aceto et aqua malefacta, admoveatur, et alvus propriis remediis soluta teneatur. Cubiculum, libera æris admissione, frigidulum servari debet; et omnia stimulantia evitanda sunt. Abernethy,² hac ratione fretus, dicit, se per multos annos, frequentes tumores hæmorrhoidales summovisse, nec unquam hæmorrhagiam alicujus momenti accidisse. Monro,³

¹ Petit Œuvres Posth. vol. ii. p. 140.

² Abernethy's Surgery, vol. ii. p. 23.

³ Monro's Morbid Anatomy, p. 202.

multos tumores scalpello excisos, nullo sanguine amisso, se vidisse narrat.

Cicatricis contractionem post excisionem, rectum valde firmatur; et procidentiam ani sæpe hoc modo feliciter sanari, commemorat Hey.¹

His omnibus perpensis, mihi videtur, excisionem ligaturæ anteponendam esse; et chirurgos, ducentes tumores ex varicibus semper constare, ab usu scalpelli absterreri, timore hæmorrhagiæ. Ast etsi tumores, ex varicibus, originem semper haberent, (de quo, ut jamjam dixi, multum dubitandum est) nihilominus, dum molles sunt, et multum sanguinis effusuri, ad excisionem confugere rarissime necessarium erit, sed quando solidi et carnosi evadunt.

¹ Hey's Surgery, p. 448.

Tumoribus summotis, vix unquam proclivitatem ad morbum summovemus; ne redeatur igitur, omnes causæ excitantes sedulo evitandæ sunt; alvus præsertim, usu ^csibi concoctu facilis, et si opus sit, lenibus catharticis pro re nata adhibitis semper soluta tenenda. Tempus quoddam desidendi ordinatum observari debet, quo acquiratur, habitus regularis. Exercitatio modica quotidie colenda est; nam ut a peritissimo Gregorio optime observatur; “exercitatio, modo non nimia
“ fuerit, corpus roborat, concoctioni opitulatur, secretiones et excretiones promovet,
“ sanguinis motum intendit, neque sinit plus
“ justo sanguinis congeri; ideoque multos
“ morbos vel arcet, vel jam inductos atque
“ urgentes depellit.”¹

¹ Gregory, Com. Med. Theor. par. DCCCCXLI.

FINIS.

